34

OBSERVATIO
MEDICO-PRACTICA
EBRIS PUERPERARUM,

CUM

MANIFESTA LACTIS IN CAVUM ABDOMINIS METASTASI

ADJUNCTA EPICRISI.

AUCTORE

D. JOANNE GEORGIO ZEHNER,

MANNHEM. PALATINO

E. P. MEDICO AULICO, NEC NON MEDICINAE IN URBE PATRIA PRACTICO.



MANNHEMII,

IN BIBLIOPOLIO NOVO AULICO ET ACADEMICO

MDCCLXXXVII.

Quæ vidi, non quæ vana ſugeſſit, imaginatio, ſcripſi.

HASENÖRHL.

HISTORIA MORBI.

Verſus finem menſis Januarii hujus anni ad ægram vocatus, decimo ſeptimo poſt partum die, fœminam robuſtam, 26 annorum, primiparam, præter morbos ætati inſantili communes, variolas morbillos puta, febribus intermittentibus earumque recidivis aliquot abhinc annis obnoxiam; inveni illam magna febri prehenſam, decumbentem dorſo extenſis membris, per intervalla fortiter convellebatur, pulſus erat celerrimus, numeravi intra minutum 136 pulſus, parvus, contractus ſpaſticus, reſpiratio difficilis celer, abdomen expanſum durum, color faciei pallidus, naturalis ad attactum calor capitis, oculi triſtes, vultus atrox, delirabat, nec ad quaevis interrogata reſpondebat. Maritum & adſtantem fœminam interrogo, quomodo in hunc pervenerit ſtatum? Quæ ab ipſis experiri potui, erant quæ ſequuntur:

„ Ante aliquot ſeptimanas partu laborioſo enitebatur
„ puellam adhuc viventem. Toto fere graviditatis tempore
„ de dolore in hypochondrio dextro conquerebatur, inque
„ hac dextra nempe uteri regione placenta adeo firmiter

„adhærebat, ut obſtetrix obſervata quamvis omni cir-
„cumſpectione ac dexteritate fruſtatim tantummodo illam
„extrahere potuerit. Tale fruſtum putrefactæ placentæ
„tertio poſt partum die, ſua ſponte adhuc ex utero pro-
„diit, & ab eo tempore in hac regione ſemper doloris ſen-
„ſum percepit. Febris lactea ſuetis ſub ſymptomatibus
„præteriit, lacte in mamma dextra tunc tantummodo ap-
„parente, ſiniſtra vacua plane; lochia uno die tantum &
„parva quidem quantitate fluebant, prolem non lactabat
„mater, quia infans ſugere non poterat ob depreſſas pa-
„pillas. Lac tunc in mamma una contentum exſugebat
„infans natu major. Exin ægra nullum percipiens am-
„plius incommodum, e lecto die poſt partum quinto, dum
„ſurgere volebat, ſtuporem femoris ſiniſtri, cum quadam
„immobilitatis ſpecie querebatur. Vires vero cum cibi
„deſiderio, bonoque ſomno redibant ſic, ut valere credens,
„e domo die decimo quinto poſt partum, tempeſtate quam-
„vis pluvioſa, frigida, prima vice exierit.„

„Domum rediens prae frigore tota riguit, ſtatim lecto,
„ut calore hujus frigida membra foveret ac incaleſceret,
„ſe commiſit, quo facto melius ſe habens, altero die ma-
„gnam fabarum fermentatione paratarum valde eſuriens,
„quantitatem commedit. Verſus veſperam tunc correpta
„eſt dolore colico, infuſo ſeminum cumini cum foliis ſen-
„næ parato ſuaſu proprio, uſa, levata poſt ſecutam alvum
„colica, obdormiit. Nocte evigilans immenſe ſitiit, &
„dum ad quærendum potum e lecto ſurgeret, præ ſummo
„in femore percepto dolore, in terram cadit, a marito in
„lectum portata, magnum frigus percepit, quod calor
„& relata ſymptomata, convulſiones, delirium &c. exci-
„piebant.„

Quæ in hac ſymptomatum conſideratione naſcebatur indicatio, erat revulſoria, antiſpaſtica, quæ febrim ſimul moderaretur. Color ille pallidus faciei, naturalis & capitis calor, pulſus celerrimus ſpaſticus, parvus, venæ ſectione tentare revulſionem non ſuadebant, ut potius veſicatoriis illam perficiendam conſultius crediderim. Suris imponi veſicatoria, abdomini fomentationes emollientes, & clyſma demulcens applicari juſſi.

Præſcripſi ſimul emulſionem camphoratam ℞. Camphor. gr. ſex cum emulſ. arab. diſp. ſuecic. bene trit. d. ad vitr. S. ut omni hora ſumat ægra duo cochlearia. Potus erat demulcens acidiuſculus, ex decocto hordei cum Syr. rub. id.

Dies II.

Mane. Mentis plane cómpos, verſus mediam noctem ceſſantibus convulſionibus per aliquot horas dormiit, ſudor copioſus, pulſus celer, febrilis, reſpiratio non adeo difficilis ut heri, nunc ad quæſtiones ipſi factas reſpondet, & confirmat relata a marito, inſcia vero omnium, quæ præterito die cum ipſa acciderant, queritur de ſumma virium proſtratione, quod ſibi videatur, ſe omni momento animo defecturam eſſe. cum irrito & perpetuo ad vomendum conatu, lingua erat alba, intenſus erat ventris dolor in hypochondrio dextro, praecipue vero in anteriori ejus regione, hypogaſtrii, nempe, erat & venter durus & tenſus, ut decumbere in latus non poſſet, ad leviſſimum attactum dolor augebatur. Pulſus ſudore licet perdurante celer, febrilis, addit & ægra, antequam in eum ſtatum, de quo nihil recordaretur, perveniſſet, acerbiſſimum in femore ſiniſtro doloris ſenſum percepiſſe, nunc omnimode evanidum.

Prima ſtatim vice, dum illam viſitabam, quæ mihi nata fuerat ſuſpicio, factæ nempe in abdominis partes metaſtaſeos, nunc confirmabatur magis magisque, facta enim conſideratione eorum, quæ poſt partum acciderant, (robuſta erat foemina, non male nutrita, lochia per unum tantummodo diem, & parva quantitate fluebant, in mamma una, dextra nempe, aliqua lactis copia aderat, ſiniſtra tota vacua, lac hoc ab infante quidem exſuctum, ſed nutriente victu, quo ſtatim poſt partum utebatur, quotidie elaboratum, nulla excretionis via educebatur, excepta forſan illa tranſpirationis; habita ſimul ratione temporis, circa quod morbus ingruebat, termini nempe critici illius, quem authores metaſtaſibus lactis adeo faventem agnoſcunt; reſpiciendo ſimul ad cauſas occaſionales, refrigerium nempe, ac diætæ vitium, ad ſymptomata, hunc morbum concomitantia, ad febrem nempe illam vehementiſſimam continuam, mammas flaccidas, omni lacte orbas (ante morbi ingreſſum omni die adhuc aliquid lactis in mamma aderat) ad ventris præcipue acerbiſſimum illum dolorem, una cum ejus diſtenſione ingenti, omnem & leviſſimum attactum refugientis; nullum mihi ſupereſſe potuit dubium, eſſe revera hunc morbum, quem authores angli, ſub nomine febris puerperarum, galli vero ſub illo metaſtaſium lactis in cavum abdominis deſcribunt.

Hac morbi idea ſtabilita, auctoritate non tantum cl. Doulcet, ſed & irrito ad vomendum conatu idem indicante, vomitorium præſcripſi ex hypecacuanha ℞. pulveris rad. Ipecacu. ſcrupulum ſemis d. tal. doſ. Nro. 3 ad chart. S. ut ſumat omni bihorio pulverem, aqua dilutum, cum regimine conſueto, ut biberet poſt quamvis vomitionem aquam tepidam.

Veſperi. Sumſit ægra duos tantum pulveres, quo ſexies vomuit, multa piluitoſa, bilis viridis aliqua copia mixta, tertium maritus illi, metuens nimis inde debilitari, non præbuit, poſt finitam emetici operationem, emulſio ſequens, ut omni hora 3 cochlearia ſumat, propinabatur.

℞. Olei amygd. dulc. unc. ſem. mucilag. gumm. arab. drachm. quinque, ſyr. alth. uncias tres, f. c. aquae fl. tl. unc. ſex, ceraſ. n. unc. duab. emulſ. d.

Exacerbatio febris verſus veſperam iterum fortis, cum augmento cæterorum ſymptomatum, uti & delirii, quapropter emulſioni addebantur aliquot camphoræ grana, & omni trihorio clyſma demulcens injiciebatur.

Dies III.

Mane. Sudor per noctem copioſus, aliqua ſed parva febris hoc tempore matutino remiſſio, quatuor ſedes, putridæ, fœtentes, bilioſæ. Reſpiratio adhuc difficilis. Abdomen tenſum, dolens eodem gradu, eadem virium proſtratio, & vomendi conatus.

Urina craſſa turbida rubra. Sumat pulverem Ipecacuanhæ heſterni diei, ut vomat, ceſſante vomitu, emulſionem arabicam, omni trihorio applicentur clyſmata, & continuentur fomentationes.

Veſperi. Febris exacerbatio, uti & reliquorum ſymptomatum augmentum, delirium, capitis dolor. Emulſio camphorata præſcribitur, ſinapiſmi plantis pedum applicantur, ſuppurant adhuc bene veſicatoria.

Dies IV.

Mane. Somnus inquietus, nox mala, quatuor eva-

cuationes alvinæ, multa ſordida fœtentia educentes, febris iterum aliqualis remiſſio, cætera eadem ut tertio die. Lingua alba mucoſa. Ordinatur infuſum mannæ. ℞. Mann. calabr. unc. unam ſemis, Eb. c. ſ. q. aqu. ad rem unc. duarum, add. emulſ. arab. diſp. ſuccic. unc. tres, liq. anod. m. H. gtt. xv, ut omni hora tria cochlearia ſumat. Clyſmata demulcentia & fomentationes continuantur.

Veſperi. Quinque ſedes per diem, nunc ægra valde debilis, ex acerbatio febris, abdominis tumor auctus, multi borborygmi. Emulſio camphorata cum aliquot guttis liq. anod. m. H. propinatur.

Dies V.

Mane. Nox ob obortam diarrhæam putridam inquieta, multæ ſedes fœtentes enormiter. Symptomatum alleviatio; de tumeſcentia ventris tympanitici, præcipue in hypochondriis, ſive ventris lateribus. Remiſſio notabilior febris, ſudor parcior, oculi vividiores. Promovenda diarrhæa infuſo rhei cum emulſione arabica, addito ſpiritu nitri dulci.

Veſperi. Frequentes per diem dejectiones fœtidiſſimæ, doloris & ſenſibilitatis abdominis augmentum. Decoctum demulcens præſcribitur. ℞. Rad. ſaleb. drachm. unam, coqr. c. ſ. q. aqu. font. per ½ hor. ad rem. unc. octo, add. TR. pap. rh. unc. un. ſemis, ſpirit. nitr. dulc. gtt. xv, Syr. rubr. id. drachm. ſex, ut omni hora 3 cochlearia ſumat. Clyſma omni trihorio ex ſemine lini, fomentationes continuantur.

Dies VI.

Mane. Nox melior. Dejectiones adhuc multæślbilioſæ

virides,

virides, ſitis magna, ſudor parcior, reſpiratio melior, febris eodem gradu ut die quinto, venter non adeo tumidus, mollior in lateribus, decubitus nunc facilis in latus, lingua alba, urina rubra hypoſtatica, turbida, reiteretur infuſum rhei cum emulſione arabica, potus acidiuſculus demulcens, clyſmata continuantur ſicut & fomentationes.

Veſperi. Exacerbatio febris, intenſa ſitis, delirium plane abeſt, plusquam viginti excretiones alvinæ per diem. Decoct. rad. ſaleb. clyſmata demulcentia continuantur.

Dies VII.

Mane per 4 horas uno continuo dormivit. Sudor copioſior, ſedes minus frequentes erant, abdomen detumeſcit, niſi quod in anteriori ventris parte circumſcriptus ille tumor idem ſit, dolor ventris mitior, lingua fere pura, & appetit. Veſicatoria adhuc ſuppurant. Quibus pro nutrimento hucusque utebatur ægra, conſiſtebant in cremore hordei cum ſucco citri, ceraſis ſiccatis coctis, item prunis ſiccatis coctis, potus erat ex decocto hord. cum ſyrup. rub. item berber. vel limonada c. aqu. hordei parata. Præſcripſi decoct. cort. peruv. cum pulpa tamarindorum, add. ſpirit. nitr. dulc. & ſyrup. berb. clyſmata & fomentationes; in ungebatur venter ungto alth. cum camphorae oleo.

Veſperi. Multae per diem dejectiones blilioſæ, putridæ, aliqualis febris exacerbatio, ventris dolor cum diſtenſione eadem, in anteriori ejus parte, indicata matutina continuantur.

Dies VIII.

Mane. Nox bona, quieta, duæ tantum bilioſæ ſedes, detumeſcit abdominis moles, per ſtante in anteriori parte

circumſcripto tumore, reſpiratio libera, febris mitior, multus ſudor, vehementer efflagitat vaſculum potus coffée cum lacte. Decoct. cort. peruv. c. rad. ſerpentar. virgin. & ſpirit. nitr. dulc. ordinabam, ut omni bihorio 2 cochlearia ſumat, continuato clyſmatum uſu.

Veſperi. Dejectiones per diem adhuc frequentes bilioſæ, febris exacerbatio inſignior, abdomen magis tenſum, interdicitur decocti uſus & clyſmatum ſuadetur, ut & bene bibat.

Dies IX.

Mane. Nox inquieta, nullæ hac nocte dejectiones, copioſus ſudor, moroſa & impatiens eſt ægra, ſitis multa, aliqualis oris amaror, lingua impura, alba, mucoſa, abdominis eadem ratio, ut præterito die. Deſiderat aquam ſelteranam pro potu. Præſcripſi ℞. Pulp. tamar. unc. octo, c. aqu. lib. un. decoct. add. ſpirit. nitr. dulc. ſcrup. un., ſyr. rub. id. drach. ſex. M. d. ad vitr. S. ut omni hora 3 cochlearia ſumat. Clyſmata & fomentationes continuantur.

Veſperi. Depoſuit bis alvum copioſam putridam per diem. Omnia eadem uti in exacerbatione diei præteriti. Reſpuit ægra medicamina. Potus & clyſmata commendantur.

Dies X.

Mane. Multus ſudor, nox inquieta, dejectiones aliquot, remiſſio febris, multa ſitis, ſiccitas oris, ſapor amarus, lingua muco craſſo albo obducta, abdomen dolet & expanſum eſt, urina eſt dilute rubra per aliquot jam dies, ſine ſedimento. ℞. Pulv. rad. Ipecacu. ſcrupul. ſemis, cum regimine conſueto.

Veſperi. Multa bilioſa viridia vomuit, operatione emetici finita, optimo guſtu comedit juſculum & cocta ceraſa; exacerbatio mitior, omnia leviora, excepto dolore in anteriori abdominis parte, qui ſemper idem permanet. Potus copioſus, clyſmata, fomentationes, innunctiones ſuadentur.

Dies XI.

Mane. Nox admodum tranquilla, ſomnus reficiens, ſine inſomniis, ſentit virium incrementum, appetit cibos, febris mitis, conqueritur de ventris dolore, quamvis non adeo enormi, uti in initio morbi, & de ſingulari tenſionis ſenſu ſub umbilico, lingua pura, ſitis parva.

Præſcripſi. Decoctum cort. c. Rh. ſpirit. minder. & ſyr. quodam ut ſimul ſervetur libera alvus, clyſmata & fomentationes. In hac ſymptomatum mitigatione per ſeptem dies perſtat morbus, in remediis toto hoc tempore nil mutavi. Levis remittentis febris verſus veſperam exacerbatio. III, IV, V omni die evacuationes alvinæ, mucoſa bilioſa multa educentes.

Dies XIX.

Erat XIX morbi dies, quo mane illam extra lectum in ſedili ſedentem inveneram, nunc tumor ille in anteriori ventris parte magis conſpicuus. Pulſus erat plane naturalis, nox bona, nullus ſudor, urina & naturalis. Se valere affirmat, niſi tenſionis dolorisque ſenſum perciperet in anteriori abdominis regione, petitque ut medicamentis vacare pro hoc die poſſit, quare clyſmatum uſum ſuaſi.

Dies XX.

Omnia eadem ut heſterno die. Nunc quid reſolvens methodus hic poſſit in tumorem ventris, experiri volui,

hunc in finem præſcripſi ſequentem formulam: ℞. Tartar. emet. gr. un., ſolv. in emulſ. arab. diſp. ſuecic. unc. octo, ut omni hora cochleare ſumat. Clyſmata nunc methodo Cl. Kæmpff. ex reſolventibus parari juſſi.

Dies XXI.

Mane. Hæc in melius mutatio non diu proh dolor! durabat, dum verſus veſperam præteriti diei febri corriperetur, horripilatione, ſubſequente calore, ac ſudore matutino, nunc venter iterum ſumme extenſus, doletque adeo, ut leviſſimam ab induſio preſſionem fere perferre non potuerit, reſpiratio ob enormiter adeo extenſum ventrem difficilis, pulſus poſt ſudorem fere naturalis, urina turbida mucoſa, nunc novum ſe aſſociabat ſymptoma, tuſſis ſicca, vehementiſſima, ægram diu noctuque excrucians, ventrisque dolorem ſumme augens; nullæ ſedes.

In hac ſymptomatum ſine manifeſta prægreſſa cauſa v. g. animi pathemate, refrigerio, diætæ vitio &c. deterioratione, dubius certe hæſi, anxiusque, cuinam tribuerem cauſæ tympaniticam hanc abdominis enormem diſtenſionem, cum inſigni dolorum augmento. An humori, hic ſtagnanti, effuſo, conſtantem adeo illum, toto morbi decurſu, tumorem circumſcriptum formanti, mora hac diuturna acriori reddito, ſic ut nunc omnia inflammet, in gangrænam vertat, ſicque miſeræ vitæ finem inferat; an putrido adhuc in cavo inteſtinorum ſtabulanti, acrius facto nunc turgenti, aërem elaſticum abdomen adeo enormiter diſtendentem, gignenti, hunc ventris tumorem, hujusque aëris putridi irritationi, dolorum augmentum ac febrim ſolum adſcriberem. In hoc dubio & in hac incertitudine præplacebat ſemper cauſa poſterior minus periculoſa priori, cum & hujus ſigna certa, factæ nempe gangrænoſæ

inflammationis nondum extiterint, atque non ſolum, quia animus funeſta quævis averſatur, ſed ut eo facilius ſecuriusque opem ſalutarem ferendi voto ſatisfiat, cum exiſtente gangrænoſa inflammatione, tale quid tentare velle, pium deſiderium fuerit, ſeroque hic medicina paretur.

Ad putridam ſaburram evacuandum ſeligebatur ideo indicatio, quod molimen, ut in poſterum videbimus, ſalutaris ac proſper eventus votis omnino reſpondens, beavit, Præſcripſi hunc in finem ℞. rad. columb. rhei ver. ana drachm. tres, infund. c. ſ. q. aqu. ferv. per dimid. hor. ad rem. unc. trium, add. emulſ. arab. diſp. ſuecic. unc. tres, aqu. menth. unc. ſemis, omni bihorio 2 cochlearia. Fomentationes abdomini imponendas, ex herbis aromaticis. ℞. Menth. ſalv. orig. roriſm. cort. peruv. fl. lavend. parari juſſi, quia ſaepius jam in meteoriſmo febrium acutarum absque gangrænoſa inflammatione, feliciſſimum ad partes relaxatas roborandas inde effectum viderim.

Dies XXII.

Mane. Præterito die, ſpatio 18 horarum plusquam decies depoſuit alvum, multam ſaburram excrementitiam fœtidiſſimam exonerantem, veſpertina febris & præſto erat cum ſudore matutino, per aliquot horas dormivit, tuſſis adhuc fortis ſicca, ægram ſumme excrucians, doloresque ventris augens, detumuit aliquomodo venter, erant remedia eadem, excepto leni veſpertino paregorico.

Dies XXIII.

Mane. Omnia eadem ut heſterno mane, niſi quod plus adhuc detumuerit abdomen, urina pallida turbida. Dejectiones ſex fœtentes enormiter. Continuatur eadem methodus.

Dies XXIV.

Mane. Febris veſpertina heri aderat, ſudor nunc matutinus, ſapor amarus, ructus amari климиoſi, vomendi conatus, abdomen tumidum, ſed mollius, dolens adhuc, urina ut heri. Præſcribitur: ℞. Tartar. emet. gr. tria, ſolv. in aqu. ſont. unc. ſex, add. ſyr. hord. drachm. duas & ſemis m. d. ad vitr. Omni quadrante horæ tria cochlearia, donec ſequatur vomitus, cum regimine conſueto, poſt finitam operationem emulſio arabica ſuecorum.

Dies XXV.

Mane. Emeticum heri præſcriptum multa bilioſa per vomitum & alvum eduxit. Placide dormivit, febris veſpertina minor erat, uti & ſudor matutinus parcior. Abdomen nunc fere, uti ante deteriorationem morbi fuerat. In anteriori ventris parte, idem circumſcriptus tumor, ac dolor, lingua pura, appetit. In minori doſi nunc infuſo rhei cum rad. columb. ut utatur ſuaſi, ne evacuatione nimia fruſtra conſumantur vires, hincque evacuanti indicationi reſolventem per clyſmata viſceralia cl. Kæmpff. adjunxi, eo ſcopo, ut orta fortaſſe a febrium frequentioribus recidivis, obſtructio, reſolvatur, evacuataque ſaburra, ſtagnantibus in motum ductis, redditoque ſic libero humorum per vaſa abdominalia circulo, vis vaſorum reſorbentium reſtituatur, ſicque effuſorum hic reſorptio promoveatur. Hinc nata clyſmatum formula ex rad gramin. ſaponar. valer. ſylveſtr. herb. millefol. marrub. alb. fl. millefol. arnic. chamom. ſem. lin bona quantitate, ſaturatum inde decoctum parabatur & præſcripta ratione ac cautela a cl. Kæmpff. bis per diem, applicabatur clyſma.

Hac methodo per ſex dies continuata, cum diarrhæa

aquoſa vires debilitans intervenerat, reſolvendo agere conſtitui, omiſſo nunc evacuante, ſequentem mixturam ordinavi.

℞. Extr. taraxac.
fumar.
caſcar. aquoſ. ana drachm. un.
cicut. drachm. ſemis.
Solv. in aqu. ferment. parat.
taraxac. unc. quinque.
menth. unc. un.
Add. ſpirit. mind. drachm. un.

Ut quater per diem cochleare unum ſumat, ſuperbibendo ſemper aliquid potus, parati ex decoct. rad. gram. alth. lapat. acut. cum ſyr. berb. ad gratiorem ſaporem.

Hac methodo per ſeptimanam, nil mutando, continuabatur, ſymptomata morbi decreſcebant, omni die veſpertina febris, adeo mitis facta, ut ſitis auctior verſus veſperam ægræ ejus præſentiam ſolum indicaret.

Per alvum quotidie adhuc multa mucoſa educebantur, formabant quandoque integras maſſas muci tenacis glutinis ſcriniariorum ſimilis, non coloris, ſed conſiſtentiæ ratione. Noctes tranquillæ, omni mane moderatus ſudor, tuſſis & febris veſpertina. Appetit & parum. Regimen erat morbo conveniens. Decoctum hordei, avenæ, orizæ, legumina ex dauco, & radice ſcorzoneræ, ex cichoreo, endivia. Omni die e lecto ſurgebat, & per horam, duasque in ſedili bene tecta, moratur. Per aliquot dies veſperi illam non videram. Adveniens quodam veſperi inveni illam fortiter febricitantem, cum tuſſi ſicca vehementi, dejectiones hoc die frequentes fuerunt, nunc de doloribus

ventris lancinantibus, ac ſi cultro diſcinderentur inteſtina, conqueritur, aliquoties ſenſum percepit, ac ſi interne omnia ligatura ſtringerentur; effectui clyſmatum reſolventium hæc ſymptomata adſcribens, cum in aliis caſibus, infarctu facto mobili & dein expulſo, hæc præceſſiſſe jam aliquoties viderim, quod & cl. Kæmpff. ſua experientia probat. Ad dolores mitigandos ſpaſmosque moderandos clyſma demulcens injici juſſi. Præſcripſique formulam ſequentem: ℞. Olei amygd. dulc. rec. preſſ. mucil. gumm. arab. anna unc. ſemis, ſyr. alth. drachm. tres, F. c. aqu. fl. til. unc. ſex, menth. unc. duab. emulſ. add. laud. liqu. gutt. ſex, omni hora tria cochlearia.

Anxie eventum ſalutarem, quem optaveram, exſpectavi, atque altero die ipſam adiens timidus aperui januam, en! ſummo gaudio obviam venit maritus, patinam tectam operculo manu tenens, interrogat: quid ineſſe huic patinæ credis? ægra ridens me adſpexit, reſpondeo: patina continebit, quod tu indidiſti. Serio! reſpondet, ineſt aliquid, quod uxor alvo egeſſit, ſi hoc, reſpondeo, erit pus, aqua, concrementum, lac coagulatum, nil de his omnibus, monſtrabo: eſt verum lac; non congulatum, nunc dolor ventris, illeque tumor, qui nulli medicamini cedere voluit, disparuerunt. Et revera colore & conſiſtentia lacti omnimodo erat ſimilis, hic humor, petii ab illo, ut hanc patinam bene ſervet, me poſt meridiem rediturum, ut experiri poſſem, an verum lac hic humor conſtituat. Inter ſummos ventris dolores, anxietates, lenique animi deliquio, ad menſuram unam ſemis per alvum erupit.

Erat humor homogeneus albus, nullo excremento fœdatus, aliquot olei guttæ ſupernatabant (clyſmata ſine omni oleo parabantur). Tangens abdomen ægræ, inveni illud

illud molle, hic perſeverans adeo tumor in anteriori ventris parte disparuit, tenſionis ille ſenſus, quem ſemper querebatur, evanuit, ad attactum adeo venter fuit ſenſibilis, ut leves motus convulſivos corporis ad attactum perciperet. Reſpiratio facilis, pulſus naturalis, urina colore naturalis, ſed mucoſa. Clyſma demulcens heri præſcriptum, ut mane & veſperi applicetur, ſuaſi: dum admodum enervata, debilitata, cochleare vini hiſpanici, ut cardiacum, propinatur. Ut & per diem ſumendum julapium reficiens. Altero mane redeunti, dicebat, ſe bene dormiiſſe, ſenſiſſe adhuc veſpertinam febrim, ſed levem. Viribus eſſe plane exhauſtam, an permitterem ipſi jus, cum vino, aqua & ſacharo paratum, quod valde appeteret. Quotidiana illa febris per ſex ſeptemve dies adhuc perdurabat, tandem plane diſceſſit. Intra hoc tempus utebatur quotidie decocto cort. & rad. columb. fomentationibus aromaticis, clyſmatibus demulcentibus & ſimul continuatis. Robur tunc ventriculi ac inteſtinorum per morbum adeo deſtructum, ut & leviſſimum cibum digerere non potuerit, ſed omnia cruda indigeſta per alvum exierint, lienteria ſic ſuperſtite. Quæ & tandem cort. ſimarub. rad. columb. cort. peruv. decocto additis aliquot laud. guttis ceſſit. Clyſmata ex roborantium claſſe parabantur, nunc vinum chalybeatum cum cort. & aliis amaricantibus finem morbi curæque abſolvit, lente quidem ſed integram tamen ſanitatem recuperavit, qua ad hunc usque diem fruitur.

EPICRISIS.

En hiſtoriam morbi. B. L. ſub periculoſiſſimis exorti ſymptomatibus, verſus finem ominoſi adeo, (febris enim illa quotidiana veſpertina cum tuſſi ſicca vehementi

& ſudore matutino, hecticam ſimulans, cum enormi adeo ventris expanſione ac dolore, macieque corporis inſigni, deſperati morbi imaginem ſiſtebat) ut exercitatiſſimi artis, ægræ in ſanitatem reſtitutionem plenariam, inter fortuita poſuiſſent. An artis, an naturæ potius opus, prudentiores peritioresque, atque a partium ſtudio alieni dijudicent, diſcernant.

Quæ in hiſtoria morbi notanda maxime veniunt, quæque conſentientibus autoribus, morbi diagnoſin ſpeciemque ejus determinant, ſymptomata hæc ſunt: *Febris continua*, *dolor ventris*, *hypogaſtrii*, *cum ejus expanſione*, *mammarum flacciditas*, atque *diarrhaea putrida.* Notatu non minus dignum & hic occurrit phœnomenon, ſub finem morbi natum, *excretio nempe per alvum humoris albi, lac colore & conſiſtentia referentis, ad menſuram unam ſemis & ultra.* Tria priora potiſſimum ab autoribus inter eſſentialia, conſtantia, pathognomonica, morbum ab omni alio puerperas invadente, diſcernentia, ſigna ponuntur: Mammarum flacciditas, ſupreſſio lochiorum, adeſſe & abeſſe poſſunt, exiſtente tamen morbo, febris puerperalis ſub nomine noto. Quamvis in relatione hujus morbi ab academia Pariſienſi publici juris facta *a*), epidemice tunc in noſocomio Pariſienſi, hotel de Dieu, graſſati, & inter ſigna eſſentialia annotetur *mammarum flacciditas.*

Cl. Home tria notata ſymptomata, ut eſſentialia in binis de hoc morbo obſervationibus deſcribit *b*). Cl. Rich-

---

a) Vid. Memoire ſur la maladie, qui a attaqué en differents tems les femmes en couche a l'hotel de Dieu de Paris.

b) Ejusd. cliniſche Verſuche vom Kindbetterin-Fieber, pag. 76 ſeq.

ter *c*) pro eſſentiali diſtinctivo ſigno habet febrim continuam, expanſionem illam abdominis, cum & dolorifica ejus ſenſibilitate, quibus diarrhæa putrida ſe adjungat. Cl. Manning *d*) ſingularem illam ac memoratu dignam ventris tumidi ſenſibilitatem cum febri ac diarrhæa putrida, ut ſigna eſſentialia judicat. Cl. Selle *e*) dolores abdominis vagos, continuos, ſi febri in puerperis ſe aſſocient, febrem puerperalem adeſſe ſtatuit. Cl. Stoll *f*) & dolores abdominis totius, hypogaſtrii maxime & uterinæ regionis in hac febri deſcribit, & alio loco ait: inter ſymptomata hujus febris dolorem abdominis quam maxime eminuiſſo. Illuſtr. van Swieten *g*) in epidemia hyeme 1746 obſervata, notat & diarrhæam, dolorem ventris, inprimis circa locum, quem occupant ligamenta uteri lata, abdominis tenſionem cum tuſſi.

Omnes reliqui Clariſſ. in arte viri, Angli & Galli, qui hunc morbum obſervarunt, ac deſcripſerunt, conveniunt. Cum in noſtro caſu hæc ſigna ab autoribus pro pathognomonicis habita, & adfuerint, omni jure erit & hic morbus, febris puerperalis, & cum, uti frequentius tamen evenire ſolet, hic morbus, ſtatim partum non ſit ſecutus,

c) Bemerkungen von Fiebern, pag. 198.

d) Neue Entdeckungen in der Arzneigelahrtheit vom Kindbetterin-Fieber, pag. 155.

e) Medicin. clinic. vom Kindbetterin-Fieber, pag. 110; ejusd. neue Beiträge zur Natur- und Arzneiwiſſenſchaft, erſter Theil, vom Kindbetterin-Fieber.

f) Rat. med. Tom. II, pag. 65 & 74.

g) Comment. in H. Boerhave Aphor. T. IV, pag. 611.

ſed XVII demum poſt partum die ægram invaſetit, ſiſtet ſpeciem febris puerperalis ſerotinæ, quales caſus & Pouteau refert *h*), & cl. Doublet plures obſervavit *i*), quos & deſcribit ſub nomine *fievre puerperale tardive.* Excretio illa humoris lactei per alvum, ad notabilem illam quantitatem, non minus firmum argumentum addit cognitioni morbi. Dum hujus excreti liquoris, quem lac vocavi, mentionem facio, dubitabunt, fueritne hoc liquidum lac, &, ſi fuerit, an certo conſtet in abdominis cavo ſtagnaſſe effuſum: quamvis nullo alio, quam quod ex colore & conſiſtentia liquoris deſumere potui, experimento probare poſſem, lac fuiſſe illum liquorem, cum ex negligentia & incuria illum non aſſervaverint, tamen ex eo patet; cum non adeo difficile ſit negotium, diſtinguere lac, & maritus ægræ, ex plebe homo, hoc liquidum ſtatim pro lacte agnoverit, obſervationes clariſſ. virorum & non adeo raræ ſint, quibus conſtat, ſæpe ſæpius talem humorem per alvum excretum fuiſſe, quem lac vocare nemo hæſitabat. Sic de Leurye *k*), a lacte in ſanguine retento ad aliquod tempus, deinde vero in inteſtina depoſito, diarrhæam naſci lacteam perhibet; ejusmodi & diarrhæam lacteam cum mammis decreſcentibus obſervavit. Storch. obſ. cent. 1, obſerv. 6.

---

h) Melanges de Chirurgie, pag. 180.

i) Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch practiſcher Aerzte, 8ter Band, pag. 327.

k) Abhandlungen über die Geburten, nebſt der Behandlung der Krankheiten der Schwagern, Kindbetterinnen und kleinen Kinder. Breslau 1778.

Cl. Planchon *l*) conjugem ægrotam diarrhæa pluries in uno eodemque puerperio repetita, a lactis metaſtaſi fere plane jam formata, liberatam eſſe narrat. Pertinet & huc obſervatio & experimentum cl. Rommelii *m*), qui ex humore tali per diarrhæam lacteam excreto, colore & conſiſtentia lac referente, agitatione & conquaſſatione, butyrum confecit. Celeb. Tiſſot *n*) in puerpera quadam intra viginti quatuor horas, ſeptuaginta & ſeptem ſedes obſervavit, quæ nihil aliud, quam ſolum ac purum lac eſſe videbantur, & circiter viginti quatuor vel quinque Pintas, quæ juxta menſuram Pariſienſem libras quadraginta octo, usque ad quinquaginta libras æquavit, explebant. Quæ excretio! ſolito major, diebus ſequentibus quidem minuebatur, tamen adhuc per duas ſeptimanas continuabat, imo ejusmodi ſedes lacteas etiam per longius temporis ſpatium continuaſſe aſſerit *n*). Etiam Smellie hujus excretionis teſtis eſt *o*). Et alii plures Puzos *p*), White *q*) &c. Et tandem, quod omnes hic adfuerint conditiones, ſub quibus tales lactis metaſtaſes contingunt. Argumentum,

---

l) Roux Journal de medicine, T. XXIV, 1765, M. Maj. pag. 408.

m) Ephemer. N. C. decad. II, ann. VIII, obſerv. CLXVII, pag. 451.

n) Von den Krankheiten vornehmer Standesperſonen.

o) Treatiſe on the theorie und practice of midvifery by Will. Smellie, pag. 420.

p) Traité des accouchemens, pag. 238 & ſeq.

q) Von der Behandlung der Schwangern und Kindbetterinnen, pag. 161.

quo revera in cavum abdominis hunc liquorem effuſum eſſe, ibique ſtagnaſſe toto morbi tempore evincitur, inde fluit, atque extra dubium omne clariſſime patet, ſi conſideramus, nihil omnino & profuſiſſimam diarrhæam, & dejectiones arte factas copioſiſſimas, in tumorem circumſcriptum illum, qui per totum morbi decurſum immutabilis perſtabat, potuiſſe, ventremque æque tumidum in anteriori regione permanſiſſe, excreto vero hoc liquore dolorem cum tumore disparuiſſe. Conſentiunt & cadaverum ſectiones *r*), ubi in tali morbo defunctorum abdomine, iſte humor lacteus, ſed in grumos coagulatus inveniebatur. Evidens adeoque eſt, hunc humorem fuiſſe verum lac, & in cavo abdominis ſtagnaſſe *s*).

Cætera, in hiſtoria morbi nominata ſymptomata, ſitis, capitis dolor, delirium, convulſiones, reſpiratio difficilis, celer, anxia, urina rubra turbida, uti vehementiſſi-

---

r) Vid. præcipue cl. Selle Beiträge zur Arzneigelahrtheit, 1. Theil.

s) Multi forſan diverſæ opinionis circa metaſtaſin, in hoc caſu in cavum abdominis factam, erunt, cum tumor circumſcriptus ille in anteriori ventris regione effuſionem hanc in celluloſam peritonæi potius eſſe factam indicet. In hac luce, fateor ſi contueor rem, & mihi veri ſimilem videri hanc effuſionem. Quodſi vero ſimul perpendo, effuſum in celluloſam peritonæi hocce liquidum ad menſuram unam ſemis, ſi fuiſſet, pondere & gravitate ſpecifica facilius per celluloſam ad femora, & extremitates inferiores deſcendiſſe illud, quàm quod reſorptum & per alvum excretum fuiſſet, credere perſuadeor. Accedit quod effuſionum liquidi lactei in cavum abdominis multo frequentiores, illis in celluloſam peritonæi, obſervationes proſtent, hasque effuſiones ſæpius ſuſpicione magis quam experientia fundari.

mæ febris & cauſæ bilioſæ putridæ guſtricæ effectus erant, ſic febri decreſcente, eductoque tam per evacuationes artificiales, quam ſubortam diarrhæam putridam, acri bilioſo putrido & disparuerunt, uti convulſiones altero ſtatim die poſt adhibitam methodum revulſoriam & antiphlogiſticam, decreſcente ſic febri & ſuborto ſudore, evanuerant. Sic & delirium ſecuta diarrhæa ceſſabat. Expanſio illa tympanitica abdominis, cum inſigni illo doloris ſenſu, ad leviſſimum quemvis attactum ſumme aucto, ab eodem putrido acri, elaſticum aërem magna copia in inteſtinorum cavo generante, atque ſimul ab effuſo illo humore lacteo efficiebatur, quibus binis concurrentibus cauſis, in enormem aliquando molem venter diſtendebatur. Dolor ventris ab acris putridi irritatione ac ſtimulo non ſolum, ſed & quam plurimum, ab humore hic effuſo, ſuam ſymbolam conferente, producebatur, quod exinde patet, quia hoc liquore excreto dolor omnis abierat. Et diarrhæa, ut ſymptoma, ab acri bilioſo putrido, in inteſtinorum cavo ſtabulante, hæcque ad excretionem ſtimulante, exorta eſt. Reſpiratio difficilis, celer, anxia, a trajectu ſanguinis celeriori per pulmonis vaſa, ejusque congeſtione in hæc vaſa auctiori, orta a circulatione humorum per ſyſtema venæ portarum impedita, accedente diaphragmatis impedito deſcenſu, ob tympaniticam illam inteſtinorum ac abdominis extenſionem. Nunc, quæ febris morbique proxima cauſa fuerit, disquirendum; qua rite ſtabilita & therapiæ adhibitæ ratio & veritas apparebunt, atque, quamvis lactis hæc in abdominis cavum depoſitio, cauſa hujus morbi proxima eſſe videatur, conſentientibus cl. in arte medica viris, qui hanc cauſam pro proxima agnoſcunt, illuſtri van Swieten, cl. du Roy, Puzos, Levret, Deleurye, Paulet, Doulcet, Doublet, Selle, Baldingero, Grunero, Fuchſio & immortali Boerhavio inter anglos Smellie; celeb. Tiſſot

pluribusque aliis, ſimque ipſemet ſat ſuperque convictus, poſſe & ab hac cauſa & febrim hanc, & inflammationem partium, quas hæc metaſtaſis obſidet, omnesque viſcerum degenerationes, ac humorum in hoc morbo defunctorum cadaveribus detectas effuſiones, produci, nec ad hæc producenda requiri, ut mora & ſtagnatione lac corrumpatur, coaguletur, ſicque acrimoniam acquirat, qua & vaſis atque nervis ſtimulo oborto, febris & inflammatio ſequantur, quem effectum copioſſimæ auctorum obſervationes meæque propriæ confirmant, ſed lac ſanum, non degeneratum, incorruptum adhuc, (quamvis a lacte corrupto majores & periculoſiores ruinæ œconomiæ animali immineant) ſi vi ac impetu in partem aliquam corporis ruat, & vaſa extra modum diſtendat *t*), uti multivaria mala, ſic & inflammationes efficere poſſe, certo credam, cum & de lacte valeat hic, quod celeberr. Gaub. de omnibus humani corporis liquoribus affirmat, dicens: habent ſuos a natura conſtitutos canales, loculos, receptacula, cava, quibus tanquam cancellis continentur, vehuntur, nec egredi ſine noxa poſſunt *u*);

Statuere nihilominus perſuadeor, metaſtaſin lactis hoc in caſu, morbi potius effectum, quam cauſam dicendam eſſe, quamvis hæc periculum ſummopere adauxerit. Ex hiſtoria morbi nempe apparet, febri jam præſente, dum noctu

---

t) Vid. cl. Baldinger. Pr. ſiſt. obſervat. de morbis ex metaſtaſi lactis in puerperis. Jenæ 1772.

u) Præceptor meus in æternum venerandus, cujus & beneficiorum in me collatorum memoria animo nunquam excidet meo. Vid. Inſtit. Patholog. edit. Lipſ. pag. 189. § 397.

noctu evigilaret, ſitisque intenſa illam excruciaret, ad quærendum potum, dum ſurgeret, quod in terram lapſa ſit, ob dolorem atrociſſimum in femore perceptum *x*), abdomine omnis doloris eo temporis momento plane adhuc experte, adeoque metaſtaſin præceſſit febris. Accedit & hæc ex hiſtoria morbi ducta obſervatio, ægram poſt evanidam febrim continuam remittentem, per 48 horas ab omni febri vacaſſe, perdurantibus ventris dolore, ac tumore iisdem, ſubſiſtente nempe metaſtaſi, adeoque, ſi metaſtaſis febris cauſa fuiſſet, & febris metaſtaſi præſente perduraſſet. Sed contrarium evenit, febrisque ideo ab alia exoriebatur cauſa.

Si quæ morbum præceſſerant, conſideramus, prædiſponentes & occaſionales cauſas, collectam nempe tempore præprimis graviditatis ſaburram & puerperii illo, victu pravo præcipue animali, quo ſtatim uſa eſt, ſic & ob conſtipationem alvi auctam, mora acrem putridam factam — conſtitutionem ſimul aëris, caracteri bilioſo eo tempore adeo faventem — refrigerium dein, diætæ vitium, qua refrigerii cauſa acre in ſanguinis maſſa retinebatur, & vitio diætæ augebatur magis, præcipue vero tunc præſens jam, in primis viis acrimonia magis evoluta in actum deducebatur, clarum fit, a putrido bilioſo ſic nato, nervis inteſtinorum non tam, quam vaſorum ſyſtemati, ſtimulo illato, exortam eſſe febrim hanc puerperalem. Ab eadem hac cauſa, ſtimulo nempe eodem in abdomine, & majori ſic in has partes concitato affluxu, & facta congeſtione,

---

x) An dolor hic in femore perceptus a lacte huc verſus metaſtaſin intendente oriebatur? Dolores puerperarum rheumaticos extremitatum inferiorum pro plurima parte a lacte deducit, cl. Selle in den Beiträgen l. c.

lac in ſanguine retentum, & tam facile hoc tempore, ab illo not. illuſtr. van Swieten *y*) ſecedens, in abdomen prolectum, hic in cavum ejus effuſum, metaſtaſin formabat. Quas in abdomine obſervatas congeſtiones & effuſiones lactis, ab acri bilioſo, in ſyſtemate lymphatico facto ſpaſmo, deducit & explicat cl. Selle *z*). Accedit hic per graviditatem & partum inducta harum partium in abdomine relaxatio, & irritabilitas, quas binas conditiones ad metaſtaſin in abdomine efficiendam autores requirunt. Conſentit cl. Vogel *a*), & irritamentum hic in abdomine requirens.

Ex his, credo, patet clare, metaſtaſin morbi potius effectum, quam cauſam fuiſſe. Hoc fundamento niti videtur opinio cl. Selle, febrim puerperalem abſque hac lactis metaſtaſi non exiſtere *b*). Quodſi nunc ſymptomata hujus febris ſimul perpendamus, linguam nempe mucoſam albam, bilem depravatam viridem, vomitu rejectam, bilioſas dejectiones tam arte factas, quam diarrhoea putrida evacuatas, urinam bilioſam, febrim ipſam remittentem continuam, evacuante methodo in quotidianam mutatam, proſtrationem illam virium ſummam, dubium nullum ſupereſſe poteſt, febrim puerperalem hic deſcriptam, eſſe bilioſo putrido - gaſtricam, cum manifeſta lactis in abdominis partes facta metaſtaſi. Febrim puerperalem &

---

y) Comment. in Boerhaavii Aphoriſm. Tom. IV, pag. 610.

z) l. c. pag. 70.

a) Vid. deſſen Handbuch der practiſchen Arzneiwiſſenſchaft, 2. Theil, pag. 258.

b) l. c. pag. 70.

gaſtricam judicat cl. Stoll *c*). Cl. Vogel *d*) pro plurima parte gaſtricam raro inflammatoriam refert. Cl. Selle *e*) & hanc febrim biliofam gaſtricam deſcribit. Quid certo nunc de hoc morbo præſagiri potuerit videndum.

Periculi pleniſſimum hunc morbum, quotquot de eo proſtant obſervationes, clamant omnes, cum exitialis adeo ac funeſtus jam ſæpius puerperis exſtiterit. Aque ab initio morbi, quo graviſſimis ſymptomatibus, vehementiſſima febri, convulſionibus, delirio &c. ingruebat, ferendum judicium, funeſta quævis præſagiiſſet. Sic Hipocrates Aphoriſm. Sect. III, Aphor. LXVI, in febribus acutis *convulſiones*, & circa viſcera *dolores fortes*, malum. Et Aphor. LXVII, ejusd. Sect. in febribus ex ſomno timores, *aut convulſiones malum.* Methodo adhibita decreſcens, mitigatis ſymptomatibus, morbus, cum virium quodam incremento, diminuto ſimul pulſuum numero, redditaque ægræ phyſiognomia magis ſerena, ad naturalem redeunte, fauſta quævis ex hac parte promittebant. Sic cl. Vogel *f*) decreſcentiam numero pulſuum, cum phyſiognomia ſerena in morbis acutis, ut ſigna indubitata, ſecuriſſima habet, ſecuturæ reſtitutionis, cum reliqua omnia, fauſtiſſimi licet ominis absque memoratis nihil certi hic decidant.

Exoptatum ſic ex hac parte ferendum præſagium, tumor ille abdominis permanens cum dolore, dubiam ex altera parte & ominoſam reddebat prognoſin. Qui mali

---

c) Rat. med. T. II, pag. 67 & ſeq.

d) l. c. pag. 267, §. 187.

e) l. c.

ſecuturi metus augebatur tunc præcipue illo morbi tempore, quo nova febris quotidiana veſpertina, cum tuſſi ſicca vehementi, & ſudore matutino, hecticam ſimulans, cum majori ventris expanſione, dolorisque ipſius augmento, ægram invaſerat. Fateor, me hic funeſtam formaſſe progroſin. Quis enim certitudine quadam hic affirmare potuit, ſecuturum, qui tamen ſequebatur, proſperum illum eventum, cum nullum nec minimum ſignum probabile hic adfuerat, quo humoris hic effuſi incorrupta illa qualitas augurari potuiſſet. Diceres, fateor, ab initio quidem ſuæ effuſionis humorem hunc blandum incorruptum fuiſſe, ſed hac diuturna mora, perduranteque bilioſo-putrida febri, veroſimilius fuit corruptelam quamcunque contraxiſſe. Sic terret adhuc memoria, morbi bilioſo putridi, Mannhemii hic tribus ab hinc annis epidemici, ubi copioſos hydropes, ut morbi quandoque, ſæpius vero perverſæ medelæ effectus, obſervare licuit, & ubi effuſi humores, brevi mora tantam corruptelam acquiſiverant, ut gangræna abdominali inducta, brevi temporis ſpatio, 2, 3 ad ſummum 4 ſeptimanarum, ægris necem intulerint. Prognoſis adeoque formanda usque ad excretionem hujus humoris lactei, dubia ſemper manebat.

Venio nunc ad medendi methodum, cujus & mihi reddenda ratio. Quædam hanc methodum concernentia in hiſtoria morbi jam præſtiti, ut pauca forſan ſuperſint, hic addenda. Et quod indicationem, dum prima vice ægram acceſſeram, attinet, per veſicatoria & clyſmata revulſoriam, eam ex arte & legitime formatam, confirmabat non ſolum effectus ſecutus, dum ægra altero mane ad ſe redierat, ſed etiam ex ſymptomatibus deducta morbi cognitio, infirmum ſane hic non addebat argumentum, ut potius & primario hic decideret, quæ, proſtratio nempe virium

ſumma, de qua ægra tunc conquerebatur, conatus ad vomendum perpetuus, lingua muco albo obducta, pulſus parvus, celer, urina biliofa, ventris dolores cum ejus expanſione, morbi genium bilioſo putridum, cauſamque convulſionum in abdomine præprimis latere declarabant.

Quæ hoc temporis momento, quo nempe primam indicationem formabam — acre demulcere, involvere, uti clyſmata demulcentia — quæ impetum ſanguinis a capite avertere — uti veſicatoria — quæ orta ab expanſione abdominis ſymptomata, lenire, uti fomentationes emollientes abdomini imponendæ, uti & inunctiones, valebant — quæ ſimul virtute propria, ſpecifica, motus convulſivos coërcente, domante, antiputrida, vires erigente, agebant, uti camphora, moſchus &c. veræ & unicæ indicationis fuerunt. Induciis tunc impetratis de indicatione curativa cogitari potuit. Venæ ſectio hoc in caſu inſtituta ſummas profecto noxas intuliſſet, hac enim viribus adhuc magis dejectis, putridi vis, omniumque ſymptomatum incrementum ac periculum, adaucta fuiſſent. Sic de venæ ſectione in tali convulſionum, ab acri putrido bilioſo, cauſa, eadem judicat celeb. Tiſſot *g*), & cl. Stoll *h*) ait: Jactura ſanguinis per venæ ſectionem facta, inducta ſolidorum debilitate, bilem quam ſanguine frænari veteres non inconcinne dixerant, reſciſſo hoc fræno, jactura nempe ſanguinis, efferri incipere, atque repagula effringere. An lac ad producendas has convulſiones forſan & hic aliquid contulit? Deciſionem hujus quæſtionis peritioribus relinquens fateor, veriſimile mihi videri, & ſuam ſymbolam contuliſſe.

---

g) Diſſert. de febrib. bilioſis. Lauſannæ 1780, pag. 124 & ſeq.

h) Rat. med. T. II, pag. 85.

Reliquæ in hiſtoria morbi notatæ indicationes, cognitione cauſæ proximæ ac genio morbi nituntur. Ex artis & experientiæ principiis me indubitato probaſſe credo, morbum bilioſo putrido gaſtricum, febrimque ab irritatione hujus putridi bilioſi natam, uti ab eodem acris ſtimulo metaſtaſin emanaſſe. In hoc rerum ſtatu ac conditione formandæ indicationes, primariæ hæ ſunt:

1) Corrigere, expellere, acre bilioſum putridum, qua ablata cauſa, & effectus, morbus nempe ipſe tollatur.

2) Metaſtaſi hic factæ mederi, ſive quod idem, effuſum hic educere.

3) Symptomata lenire.

4) Roborare partes.

Ad primam indicationem pertinent, quæ ſurſum ac deorſum evacuant. Sic emetico præcipue ex Ipecacuanha primæ & ſecundæ indicationi ſatisfieri contendit cl. Doulcet *i*). Perhibet enim dato de tempore emetico in febri hac puerperali, metaſtaſin præcaveri. Cl. Archier *k*), obſervationem emetici talem effectum probantem adducit. Conſentit & aliquo modo cl. Doublet *l*), addit tamen, hunc effectum indubitato adeo non ſemper ſequi. Fieri tamen hunc effectum mihi perſuadeor, tunc, quando febris puerperalis puræ originis bilioſæ eſt, cum in tali caſu dato

---

i) Sammlung von Beobachtungen für practiſche Aerzte, l. c.

k) Der nemlichen Sammlung 10ten Bandes 1tes Stück, p. 9.

l) Item 8ter Band, pag. 323.

emetico morbus quandoque in ſua prima exiſtentia ac origine ſuffocetur, eo difficilius vero & plane non evenire hunc effectum, ubi ſanguinis maſſa hoc putrido jam inquinata, vel morbus a putrida humorum degeneratione ortum ſuum traxerit, vel & quando ſaburra bilioſo putrida magna copia in inteſtinorum cavo collecta adſit, uti in caſu noſtro evenit, ubi repetitis evacuantibus putridum hoc tandem expelli potuit.

Primam hic datam indicationem adimplere ſtudui, propinato emetico ex Ipecacuanha, dum irritus conatus ad vomendum, materiam ſurſum verſus turgere indicabat. Hocque toties reiteravi, quoties turgeſcentiæ ſurſum ſigna adfuerant. Purgantia, dum materies deorſum turgebat, diarrhœa nempe, morbi 5to die ingruente, putrida, porrexi, quæ ſecundum effatum Hipocratis *m*), dum ſymptomata omnia alleviaret, promovenda erat. Selegi tunc quæ deorſum evacuant, ex mitiſſimorum claſſe, uti erant manna, tamarind. rheum. hisque addidi involventia mucilaginoſa, ne præſens inteſtinorum ac ventris irritabilitas ſumma, ullo modo augeri atque major hic ad inflammationes proclivitas exoriri, poſſit. Hac & methodo utitur cl. Vogel *n*). Adjunxi quandoque evacuantibus, quæ horum

---

m) Aphoriſm. Sect. I, Aphor. II. In alvi perturbationibus & vomitionibus ſponte obortis, ſiquidem, qualia oportet purgari, purgentur, confert & facile ferunt. Sin minus, contra. Sic & vaſorum evacuatio ſi, qualem fieri oportet, fiat, confert, & facile ferunt; ſin minus, contra. Inſpicere ergo oportet & regionem, & anni tempeſtatem, & ætatem, & morbos, in quibus oportet (*evacuari*) vel non.

n) Vid. deſſen Handbuch der practiſchen Arzneikunſt, p. 267 & ſeq.

actionem promovere, præprimis vero putredini & ob roborantem eorum virtutem, a diſtentione nimia oriundæ debilitati, reſiſtere poterant. Sic cum rheo combinavi radicem columbo, ab omnibus ratione nominatæ virtutis, cognitam.

Metaſtaſis hic præſens longiorem evacuantium uſum poſtulabat, nec cortex peruvianus ante humoris excretionem ullo modo non profuit, ſed ſymptomata omnia adauxit. Sic lingua pura apparente, decreſcente febri, redeunte cibi deſiderio, inducebar porrigere corticis decoctum, quod eodem die, quo ordinabatur, & ſeponi debuit ortis omnium ſymptomatum augmento, morbique deterioratione. Evacuantia hæc lenia bene ſemper ferebat morbus, qua methodo & febrim quotidianam ex remittente natam, ſurſum & deorſum evacuantibus tractabam, tamdiu, quam morbus hæc bene ferebat. Mutans tunc, quando contrarius ſequebatur effectus, ubi tunc ſola methodo reſolvente egi.

Hac methodo & ſecundæ indicationi ſatisfeci. Ad promovendam nempe effuſi reſorptionem, indicationem reſolventem pro maxima parte per clyſmata viſceralia cl. Kæmpffii implere ſtudui: quæ ultima præ omni alia præprimis indicata in hoc caſu videbatur, quia ortæ forſan, a febrium intermittentium frequentioribus recidivis, viſcerum abdominalium obſtructionis, ſuſpicio, non adeo vana videbatur.

Hac indicata methodo tandem excretio humoris lactei ad menſuram unam ſemis, cum ſummo morbi ſecuto levamine fiebat, cum tumore ventris ac dolore evanidis. Excretionem ipſam præceſſerant vehementes ac lancinan-

tes

nantes ventris dolores, ſub quibus & leni animi deliquio excretio ipſa ſequebatur. Methodus eo tempore demulcens, anodyna, in hiſtoria morbi deſcripta requirebatur, quæ durante illa ſumma ventris ſenſibilitate, nervoſique ſiſtematis ad ſpaſmos diſpoſitione, una cum cardiaca, vires refocillante, per aliquot dies continuabatur.

Sublata hac irritabilitate per deſcriptam methodum, cum clyſmatibus viſceralibus per aliquod tempus adhuc pergebatur. Tertiæ indicationi ſymptomatum levamini, fiebat jám per primam indicationem ſatis, dum quæ, ut effectus cauſæ, hac expulſa, & leniebantur. Si diarrhœa nimis profuſa fuerat, vires nimis proſternens, ſepoſitis ad breve tempus evacuantibus, leniter anodyna & antiputrida, methodo, qua & ventris dolori auctiori, fomentationibus ſimul abdomini impoſitis, ſuccurrebatur, utebar. Sic tuſſis vehemens verſus veſperam exacerbata, leni paregorico mitigabatur.

Quartam indicationem, ad partes nempe vi morbi debilitatas, roborandas, explevi decocto corticis peruviani cum cortic. ſimarub. additis mucilaginoſis, & ad ſummam remanentem venticuli ac inteſtinorum irritabilitatem, qua & leviſſimi atque concoctu facillimi cibi, ſtatim iterum elabebantur, lienteriæ ſub nomine, aliquot laudani liquidi Sydenhami guttis. Per notabile tempus utebatur, dein quotidie vino chalibeato confecto ex cort. peruv. cort. aur. limat. mart. non. rubigin. rad. gent. r. ſummit. cent. min. cinnam. adjuncto omni mane infuſo cort. peruv. c. rad. caryophillat. ad aliquot vaſcula theiformia potando lacte & ſachar. additis, quo infuſo atoniam ventriculi ſummam feliciſſimo effectu ſæpe ſæpius, fruſtra tentatis aliis omnibus ex roborantium claſſe ſelectiſſimis, abegi. Quibus

recenſitis remediis, dejectum adeo harum partium robur-
tandem, lente quidem, ſed feliciter tamen, cum integra
ſecuta ſanitate, reſtituebatur, victo ſic, ſimplici deſcripta
methodo, periculoſo ſane morbo, adjuvante non minus, &
præcipue, naturæ mirifica ac ſingulari opera.